DE
ABSCESSU LUMBALI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS CHIRURGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XV. M. JULII A. MDCCCXXXIX.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

Hermann. Frideric. Vollr. Mueller

MARCHICUS.

Opponentibus:

JULIO KRAUTWURST, med. et chir. Cand.
FRIDERICO REINHARDT, med. et chir. Cand.
CAROLO EISFELD, med. et chir. Cand.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

MANIBUS

SENIS OMNI VIRTUTIS GENERE ORNATI

PETRI ROUANET

AVI SUI MATERNI

SACRAS ESSE VULT

ATQUE

VIRO

AMPLISSIMO, HUMANISSIMO,
INTEGERRIMO

IOAN. CH. TH. BERCHT,

REI NOSOCOMIALIS MILITARIS INSPECTORI SUPREMO, REGIS
A CONSILIIS BELLICIS, ORDINIS DE AQUILA RUBRA
EQUITI ETC.

FAUTORI SUMME DE SE MERITO

HAS

QUALESCUNQUE PAGELLAS

D. D. D.

AUCTOR.

In libris qui de chirurgia sunt nomine abscessuum lumbalium seu Psoadicorum vomicarum genus describitur, quae singulari quadam et occulta ratione semper lentissime sine ulla discriminis specie oriuntur. Quare, sive originem sive decursum earum spectas, multum proprii offerunt et plerumque morti tradunt aegrotum, qui, malum omnino parvi faciens, quippe quod initio minora tantum incommoda ipsi afferat, haud suspicatur vitam suam in dies magis in periculo versari. Ejusmodi abscessus plerumque inveniuntur in infima trunci parte in regione lumbali, inguinali, perinaeali, ubi sine ullo localis inflammationis signo apparent, ideoque sub abscessus, quos frigidos nominamus, subjiciendi sunt.

NATURA ET CAUSSAE.

Omnibus hisce tumoribus suppuratio externa, plerumque puris accumulatio in regione lumbari subest, sive pus hoc ipso loco oriatur, sive aliunde eo perveniat, quod quidem ut facillime fieri possit, harum partium structura efficit. Tela enim cellulosa, quae renes, diaphragma, peritonaeum, musculum quadratum lumborum, psoas musculos conjungit, proprii id habet,

quod ex longis compositisque laminis constat, quae multum inter se distant, magnam adipis copiam magnumque vasorum numerum e vasis renalibus, suprarenalibus, lumbaribus complectuntur; qua laxitate vasorumque abundantia efficitur, ut haec tela imprimis et ad infiltrationem et ad inflammationem, praesertim suppurationem idonea sit. Ex hac regione pus aut ad dorsi integumenta pervenit aut in pelvim, interdum etiam in scrotum vel labia majora descendit, plerumque vero psoam musculum arteriamque cruralem secutum infra ligamentum Poupartii ad internum femoris superioris latus tumorem efficit frigidum mollem, dolore carentem, plerumque hemisphaericum, sed pro vicinarum partium resistentia varie conformatum, qui per totam superficiem fluctuationem ubique aequalem praebet. Tardissime tantum crescunt illi tumores; cubitu recedunt, situ erecto iterum prominent; sub clamoribus, tussi, omnibus omnino corporis laboribus majores evadunt, sed facile plerumque reprimi possunt. Raro et lente majorem amplitudinem assequuntur, quo fit, ut vicinae partes tendantur atque dolore afficiantur.

Varias et fere contrarias opiniones vel clarissimi auctores de ortu horum abscessuum protulerunt. Richter (1) enim, Bell (2), Hufeland (3), Abernethy (4) ex inflammatione Psoarum musculorum telaeque cellulosae eos circumdantis causam suppurationis harum par-

---

(1) A. G. Richter, Anfangsgr. d. Wundarznk. Bd. 5. p. 113.
(2) C. B. Bell, Lehrbegriff d. Wundarzneik. Bd. 4. p. 219.
(3) C. W. Hufeland System d. prakt. Heilk. T. II. p. 224.
(4) F. Abernethy, chirurgische und physiologische Versuche übersetzt von Brandis. p. 38.

tium solam petunt; Rustius (1) vero, qui, hunc morbum saepius a vertebrarum, quam a Psoarum vitio originem ducere contendit, hac de re haec ait: »abscessus psoadicus potius fere decies spontanea luxatione et inde secuta vertebrarum lumbalium arthrocace efficitur quam semel musculi Psoae inflammatione.« Ford et Richerand (2) hanc opinionem sibi probant, quoniam psoarum abscessus semper fere a vertebrarum carie profectos describunt. Verum certe in medio est collocatum: ad quod probandum, si remotiores hujus morbi causas respicimus, psoitidem mechanicis plerumque insultibus effectam invenimus. Horn (3) psoitidem apud viros maxime post magnum musculorum laborem, praesertim equitationem observavit. Alii laesiones foris illatas, velut ictus. lapsus, contusiones vel conquassationes regionis lumbalis, alii saltum, magni oneris allevationem ut causam psoitidis accusant.

Praeterea hic morbus haud raro apud puerperas occurrit. P. Frank (4) peritonitidem describit muscularem et permultorum annorum experientia doctus psoae et iliaci interni inflammationem saepius a peritonaei inflammatione originem ducere demonstrat. Talis peronitis muscularis saepius certe psoitidis puerperalis nomine describitur, quamvis quidem haud infitiemur magnum musculorum illorum laborem in difficilibus partubus, inopportunum foetus situm, nisum capitis in ossa

---

(1) J. N. Rust, Arthrocacologie pag. 74.

(2) Richerand, Monographie chirurgicale T. IV. pag. 215.

(3) Horns Archiv. Bd. 11. Stück. 2. pag. 307.

(4) P. Frank, epitome de curandis hominum morbis. Lib. II. §. 214 et 216.

ilei, contusiones, aliasque laesiones per operationes obstetricias illatas in exoriendo hoc morbo haud parum valere. Nonnunquam etiam metastasi ex febribus, suppressis sanguinis profluviis consuetis vel retropulsis exanthematibus, praesertim erysipelate pedum, morbus nascitur, qui denique internis quoque causis, rheumatismo, arthritidi, scrophulosi ortum suum debet, cum saepius in hominibus infirmis et cachecticis eveniat.

Omnes fere, quas modo diximus, psoitidis causae mechanicae simili modo vertebrarum columnam, ac psoas musculos afficere possunt, immo multo magis illius aegrotationem inferre debent, quam horum; etenim omnis hujus generis causa externa primum vertebrarum columnam infestat, dum psoae musculi ab illa aliquantum distant. Majoris oneris vero allevatio, id quod Pauli (2) satis demonstrat psoas musculos, flexioni femoris inservientes, omnino non tangit, at potius ad musculos extensores spinae dorsi, sacrolumbarem praesertim et longissimum dorsi refertur. Etiamsi psoas musculos mechanicis insultibus affici, concedamus, tamen, quomodo fiat, ut illi musculi tantopere ad suppurationem inclinentur, cum gravissimi aliorum musculorum insultus, luxatione, fractura, contusione, illati suppurationem eorum non moveant; deinde cur illi tantum musculi, neque ab ipsa vi tacti musculi dorsales inflammatione et suppuratione corripiantur, non intelligimus.

Inclinant praeterea vertebrae dorsi propter cellulosam et vasculosam earum structuram ad inflammationem

(1) A. Pauli, Bemerkungen über Conzessions-Abszesse in Rusts Magazin Bd. 7. Heft 3. pag. 408.

et cariem, quae contusione, saltu vehementi, delapsu de ampla altitudine, deinde vi allata ipsis processibus spinosis prope superficiem versantibus, praesertim cum dyscrasiae, quales sunt scrophulosis, rhachitis, vigent, facillime oriri possunt.

Corpora dissecta eorum, qui tali abscessu sint defuncti, semper fere vertebrarum cariem promere, le Dran (1), David (2), Morand (3) referunt. Cariem illam et Richter et Bell musculorum suppurationis effectum, Rust contra aliique efficientem esse judicant. Abernethy, etsi psoitidem saepissime esse abscessuum illorum causam contendit, attamen Belli sententiam oppugnat, materiem abscessus psoadici mitem esse ratus, quae mechanica tantum vi irritare posset, minime vero ossa, quia partes molles facilius recederent. Quae controversia quum experientia sola terminari possit, exempla, quae descripta inveni, hac ratione explorare operae pretium mihi videtur. Quamquam vero disquisitio casuum qui exitum letalem non habuerint, non firma omnino erit, tamen considerandum est, vertebrarum cariem, quae vicinas partes jam affecerit, magnam antea destructionem in ipsis vertebris evocare debuisse, quare contendere possimus, in illis exemplis, ubi, etiamsi vertebrarum caries causa, exitus morbi tamen felix fuerit, vertebras et comesas et inter se concretas ideoque immobiles factas esse, semper fere curvaturam dorsi, saepius quoque paralysin, medullae

---

(1) Le Dran, Observations de chirurgie pag. 117.

(2) David, sur les effets du mouvement et du repos dans les maladies chirurgicales. p. 85.

(3) F. S. Morand, vermischte chirurgische Schriften. p. 345.

sympathia paratam, remanere debere. Quod ubi non factum est, neque durante morbo caries vertebrarum sese manifestavit, alias suppurationis causas culpandas esse, quin contendam, non possum. Pauli (1) undecim enarrat exempla, quorum exitus letalis accuratiorem disquisitionem ei permisit. In omnibus hisce exemplis vertebrarum cariem in corporibus praecipue et processibus transversis positam invenit. Tria exempla cariem complurium vertebrarum dorsalium ostenderunt; in ceteris vero vertebrae aut dorsales inferiores, lumbalesque superiores, aut solae lumbales, in uno demum casu et vertebrae lumbales infimae, et pars lateralis superior ossis sacri et os ilii ejusdem lateris carie erant correpta, musculi vero et psoas et iliacus internus omnino fere deleti. Saepius in regione lumbali propriae adfuerunt cavitates membrana quadam satis firma vestitae, e quibus canales membranosi profecti sunt, quorum alii secundum vertebrarum columnam ad vertebras cariosas, alii ad tumores externos provecti sunt, quibus via puris satis munita fuit. David (2) exemplum profert aegroti, quem, quum tredecim annos natus erat, pater tam atrociter castigavit ut sex mensibus post abscessus emergeret in regione lumbali, qui sponte sese aperuit, quinque autem mensibus post omnino consanuit, nisi quod gibbositas remanserit. Quum puer ille e pulmonum inflammatione tribus annis post defunctus esset, David, sectione instituta vertebras dorsales nonam, decimam, undecimam, dimidio fere diminutas et inter se concretas vidit.

---

(1) Pauli, l. c. pag. 396.
(2) David, l. c.

Aliud exemplum (1) descriptum invenimus operarii cujusdam, qui vertebrarum columnae curvatura duobus ex annis laboraverat, magnorum onerum, ut dixit, allevatione paullatim acquisita. Abscessus in superiore cruris dextri parte in regione inguinali apparuerat, quo apperto mors supervenit. Inde a quarta vertebra dorsali usque ad psoae musculi insertionem indeque supra ipsum hunc musculum ad ligamentum Fallopiae tumor sese extendit, infra quem omnes fere partes suppuratione deletae erant. Tertia fere pars omnium a quarta ad nonam vertebrarum dorsalium carie fuit destructa, cartilagines interosseae omnino fere perditae; adeo in latere sinistro sanies usque ad psoam musculum descendit partemque ejus delevit. — Aliud exemplum quod ipse vidisse vult, enarrat Pauli (2). Nondum abscessus externus apparuit, sed vir, qui ab equo ictum in tergum acceperat, de dolore saepe exacerbante in loco antea laeso conquerebatur, cum nova quadam laesione accepta, diem supremum obiret. Sectio quum esset instituta et quintae et sextae et septimae vertebrae dorsalis dimidia pars carie reperta est consumta; ichor cariosus secundum vertebrarum columnam usque ad regionem lumbarem descendit et ad musculum psoam sese accumulavit, cujus superioris extremitatis fibrae molles quidem et fragiles, suppuratione vero nondum correptae erant. — Paschen (3) hoc narrat exemplum: Calendis Decemb. anni 1816 puer, quatuorde-

(1) Archiv für medizinische Erfahrung. Jahrgang 1817. Juli August.

(2) Pauli l. c. pag. 402.

(3) J. A. Paschen in Rust's Magazin Bd. 7. pag. 182.

cim annos natus, magnum onus in tergo ferens repente dolore tam vehemente tergi et articulationis femoris dextri affectus fuit, ut, onere dejecto, baculo nixus claudicans domum reverti coactus esset. Nono die post, Paschen in auxilium vocatus fluctuationem in regione perinaeali percepit, ubi, omnium rerum ratione habita, incisionem instituit, qua mensura puris effluxit. Post triduum, cum pus in saniem esset mutatum, disquisitio instituta accuratior os ischii sinistrum carie affectum demonstravit, qua aptis remediis tractata mox minor copia puris laudabilioris provenit; neque ita multo post pars quaedam ossis illius ejecta est, quam complures postea secutae sunt, quo facto mense Decembri anni 1817 puer omnino erat sanatus. — Struve (1) exemplum tradit de agricola octodecim annorum, qui, quamvis morbi causam quandam accusare non potuerit, signa tamen omnia exhibuit psoitidis. In morbi decursu dolor fere semper tenebat regionem lumbalem, contra quem Struve ita egit, ut corporis idoneum situm praeciperet et per longius tempus calorem tepidum in regionem lumbarem adhiberet, ne pus alias in partes demergatur. Abscessus hoc modo in regione lumbali sese aperuit et quamvis aegrotus ita emacesceret, ut vertebrae, sola cute detectae, explorationi accuratissimae paterent, tamen neque durante morbo affectae videbantur neque abscessu sanato quae tali morbo essent parata mala remanserunt. —

Abernethy (2) compluria enarrat exempla, in quibus morbum musculorum tantum suppuratione exor-

(1) Dr. L. A. Struve in Rust's Magazin Bd. 7. pg. 289.
(2) Abernethy l. c. pag. 10.

tum esse, verisimilius est: nam multos homines hoc morbo affectos tribus ad sex hebdomadibus omnino sanavit, quod fieri nunquam potuisset, si vertebrarum caries adfuisset. Quarto in casu ab eo narrato, qui minus prosperum habuit eventum, sectione instituta, cariem adfuisse vertebrarum, nequaquam commemorat.

Sectio quaedam, quam Nikse (1) describit, musculos dictos suppuratione fere deletos, vertebrarum columnam fere incolumem, vertebrarum lumbalium tantum tertiam et quartam leviter earie correptam demonstravit, cum canales pure expleti multo altius ascenderent. — Tria proponit exempla Runze (2), quorum in primo de femina narrat triginta sex annorum, quae cum erysipelas pedis refrigeratione repente recessisset, psoitidis symptomata praebuit. Abscessus, qui paullatim in regione hypochondriaca dextra sese formaverat, apertus sanum pus emisit, aegrota, quae mense Julio medici auxilium petierat initio mensis Octobris sanata fuit. Alio in casu talis abscessus sine ejusmodi causa, tamen autem sub psoitidis signis, dolore cristam ossis ilium praecipue cruciante, in parte exteriore femoris exortus est, quo aperto aegrota quinque hebdomadibus praeterlapsis omnino convaluit. Ettmüller (3) quoque enarrat exemplum abscessus psoadici, qui aegrotum interfecerit, in quo, quum sectio esset instituta nihil morbosi est inventum, nisi psoae musculi sinistri deletio perfecta.

---

(1) Nikse diss. inaug. de absc. psoadico Berol. 1834.

(2) Runze diss. inaug. de psoarum abscessuum pathologia, Berolini 1834.

(3) Bibliothèque médicale. Tom. LVIII, pag. 381.

Multa praeterea exstant exempla talium abscessuum qui longius vel brevius tempus post partum feliciter editum exorti sunt et saepissime consanuerunt, in quibus omnibus neque inter neque post morbum vitium columnae vertebrarum aliquod notare licebat, qualia enarrant exempla primum Kyll (1), qui psoitidem haud raro eo consequi contendit, quod inter partum femora parientium saepius inepta vi distrahantur, deinde Runze(2), Nütten (3), Hartmann (4).

Quodsi in enumerandis istis exemplis longius versatus fuerim, nemini, puto, molestiam attuli, nisi mihi ipsi; si vero quis eo usque penetraverit, is intelliget, me, quem experientia propria deficiat, alienas experientias enarrare coactum fuisse, ut ex iis judicio uti possim. Ex his vero elucet, vertebrarum cariem saepius quidem abscessus lumbales efficere, tamen autem haud rarissimam eorum causam psoitidem esse genuinam, eamque facillime, praesertim si psoae musculi magnis laboribus ut diu equitando, partu difficili etc. irritati sint, refrigeratione vel metastasi exoriri et suppuratione, quae inde sequatur, cariem adduci posse, id quod factum esse in iis, quae a Paschen et Nikse enarrata sunt, apparet saepissimeque perspici potest ex ulceribus, quae etsi in summa cuti nascuntur, ossa tamen eaque firmiora, quam vertebras, malo afficiunt.

---

(1) Kyll, Beobachtungen etc. in Rust's Magazin Bd. XVII. pag. 311.

(2) Runze. l. c. pag. 23.

(3) Nütten, Diss. inaug. de psoitide puerperarum. Berolini 1812.

(4) Hartmann, Beobachtung einer glücklich geheilten Psoitis in Rust's Magazin Bd. 10 pag. 506.

Has causas si accuratius exploravimus et penitus perspeximus certo morbum, qui multas saepe dubitationes movet et facilius cognoscemus et ab initio statim reprimere poterimus. Quod ut faciamus praecipue necesse est, ut symptomata, quibus et psoitis et vertebrarum caries indicantur, illustrari, quare breviter ea enumerare mihi liceat.

DIAGNOSIS.

Psoitis aut est acuta, aut chronica. Horn (1) acutae psoitidis symptomata haec nominat: semper ab initio febris oritur, plerumque synocha; tum dolores occupant regionem lumbalem alterutrius plerumque lateris, non ingentes quidem, sed eo diutius perseverantes. Eodem tempore femur moveri non posse incipit ita, ut aeger pedem ad corpus attrahere omnino nequeat; quocunque modo aeger jacet, semper femur illud dimidio flectitur. Videtur quidem caput ossis femoris impediri, quominus in acetabulo moveatur, neque tamen ita est, nam os femoris et rotari potest et flecti et extendi aliorum vel ipsius aegroti manus auxilio, ubi cubitu supino utitur. Nil aegroto difficilius quam surgere e lecto vel aliquos passus progredi, quod facere jussus truncum in latus affectum inclinat.

Psoitis chronica (2), quae lente et leniter nascitur initio febri fere libera est, dolor minus acer, obtusus, vagus apparet tantum, quum femur movetur, saepe sensus magis infirmitatis surditatisque, quam dolor. Aeger

(1) In den Altenburger Annalen Jahrgang 1810. pag. 262.

(2) Rust's theoret. prakt. Handbuch der Chirurgie Bd. 13. pag. 708.

difficile progreditur, praecipue in solo inaequali et scalam vel ascendens vel descendens, saepe magno tantummodo labore erectus stare potest; nates interdum planatae sunt sicut in stadio secundo Coxarthrocacis, cujus tamen caetera symptomata desunt. Si augetur morbus, pulsus magis febrem ostendunt, glandulae inguinales, interdum quoque superior femoris pars intumescunt; tunc suppuratio imminet. — Kyll (1) hac de re haec ait: omnium illorum symptomatum pauca nunquam desunt, quare morbus saepe difficillime dignoscitur. Ex iis, quae ipse vidi unum tantummodo illi est proprium et constans, quo inde ab initio cognosci et ab alio quoque malo distingui potest; aeger enim erectus incedere nequit, sed semper paullo pronus progreditur, ita ut crus et truncus angulum efficiant obtusum. Aeger sese erigere jussus ex parte tantum hoc facere valet; tantaque statim nascitur tensio regionis inguinalis, ut amplius id non conetur. Scalam ascendere et descendere jussus facilius ascendit, quam descendit, quia sanus quoque ascendit trunco flexo, descendit vero corpore erecto, qui habitus corporis aegro dolorem excitat. Horn (2) quoque plane corpus erigi nunquam posse contendit.

Psoitis acuta, quum cum vehementi totius corporis renisu ut morbus gravior statim appareat, aegrotique mox et libenter medici auxilium petant, facilius quoque prohiberi potest, quominus exitum habeat perniciosum et methodo antiphlogistica exacte adhibita interdum septem dierum spatio solvitur, quamquam haud raro vel optima medendi ratio prohibere non potest, quominus

(1) Kyll l. c. pag. 313.
(2) In praelectionibus pathologicis.

eodem temporis spatio hominem interficiat. Ad curandam Psoitidem chronicam (1), quae minimum saepe dolorem aegroto excitat, quem vel haemorrhoidis vel glandulis tumefactis vel rheumatismo effici opiniatur, non prius medicum arcessere solent quam quum jam in supurationem inflammatio transierit; aut si quando aegri prius medici auxilium petunt, saepe tameu fit, ut vera morbi natura tum demum cognoscatur, quum jam eo processerit, ut jam nulla medendi ratione prosper eventus fieri possit. Tunc dolores, si qui antea erant, paullatim cedunt aegerque salutem sperat; brevi autem accedunt horrores intermittentes, nocturni sudores, febris hectica; aut multo aut paullo post pus huc vel illuc sub cute progreditur abscessumque format congestivum. Alii (2) narrant dolorem suppurationis initio acriorem reddi et magis fixum, calorem partis laborantis augeri, vespere febrem intrare ab horrore ordientem; glandulas inguinales magis intumescere, urinam sedimentum facere purulentum. Maxime in dignoscendo hoc morbo semper adjuvabimur accurata causarum exploratione, quare causam efficientem plures saepe hebdomades quin etiam menses antecessisse, nunquam negligi debet.

Multo difficilior et obscurior plerumque est diagnosis mali vertebrarum, spondylarthrocaces, cujus symptomata vel ex ipso malo vel medullae spinalis compressione et irritatione manant. Primo morbi tempore leviora et incerta, cum multorum minorum, tum psoitidis chronicae signis simillima sunt. Si vertebrae dorsales affectae sunt, aegrotus anxiis regionis epigastricae pres-

(1) Rust Handbuch etc. Band 13. pag. 709.

(2) Kyll. l. c. pag. 315.

sus abdominis musculis leviter uti non potest; si vertebris lumbalibus malum inest, vesicae urinariae, rectique functiones plerumque turbatae videntur. Certiori modo natura perniciosa hujus morbi, cujus causa perspici saepissime nequit, eo indicatur, quod sensus communes injucundi cedunt quum aeger quiete jacet, redeunt vero et crescunt situ erecto vel ambulando. Magni certe aestumandus est disquisitionis columnae modus, quem commendat Copeland (1), ita ut nunquam omitti debeat, ubi minima talis morbi suspicio adsit: spongia aqua calida imbuta tota vertebrarum columna permulceatur, quo si fit, ut vehemens ubicunque exoriatur dolor, pro certo habere potest, vertebram ibi collocatam malo esse affectam.

Sin autem causa, qua efficitur abscessus lumbalis, vel Psoitis vel spondylarthrocace ita non cognita est, si tumor, qualem supra descripsi, in inferiore trunci parte praesertim in regione inguinali adest ne hujus quidem diagnosis semper facillima est. Si in interna femoris parte locum habet sub fascia, saepe ita est adstrictus, ut tumor cysticus ab eo distingui non posset, nisi pus brevi penitius proveniret itaque tumor citius cresceret. Ne talis tumor sub ligamento Pupartii exortus cum hernia crurali confundatur, praecipue spectandum est, quomodo exortus sit et progrediatur. Hernia enim cruralis subito nascitur nimia quadam virium intentione, alvi obstructionem, vomitum, aliaque herniarum symptomata secum fert et ab initio tacta dolorem movet;

---

(1) T. Copeland. Bemerkungen über die Zufälle und die Behandlung der Krankheiten des Rückgraths etc. aus dem Englischen. Leipzig 1819. pag. 19.

in abscessu vero lumbali alvus non obstipatur, nec aeger dolore afficitur, si premitur tumor. Herniarum cruralium tumores omnino raro, paullatim saltem valde accrescunt, fluctuationem non praebent, molliores, si viscera, nodosi et asperi si omentum continent reperiuntur; contra abscessus lumbalis plerumque citissime nonnullos digitos latos per femur descendit, semper fluctuationem, nunquam asperitatem ostendit: hernia pressioni semper paulo resistit, pus leviori pressioni, sponte adeo cedit, si jacet aegrotus. Pure altius per femur delapso, saepe tumoris pars superior collabitur; tunc intervallum invenitur inter tumorem et ligamentum Fallopiae; quod, cum nunquam in herniis fiat, abscessum lumbalem facile eo distinguas, quod quidem fieri non potest, nisi stantem aegrotum exploras. —

DECURSUS ET EXITUS.

Quamvis hujus morbi decursus symptomata habeat tam localia, quam generalia admodum incerta et varia imo contraria, tamen ratio decursus, quem plurimi abscessus habent, normam praebere debet, quam quidem paucis describere ausim: Quodsi igitur suppuratio musculi Psoae telaeqne cellulosae, quae circa eum sita est sive ex Psoitide sive ex vertebrarum carie profecta naturae committatur, tum pus, inclusum propria cavitate sacciformi quae ex condensata tela cellulosa est composita, ipsum per se ad ciendam atque alendam interiorum partium inflammationem chronicam admodum confert atque etiam in dies auget. Rarissime, perforato peritonaeo, effusum in abdomen mortem adducit (1); plerumque

(1) Rust Handbuch Bd. 5. pag. 230.

foras tendit et tumor inde ortus cutem superjacentem distendit; ea sensim tenuior facta inflammatur tandem, sic ut abscessus postremo sub signis communibus rumpatur. Evacuatur tum amplitudinem tumoris externi multo excedens copia puris non olentis, subflavi aut rubello-grisei, flocculis albuminosis, saepe etiam telae cellulosae particulis mixti, originis notas plerumque prae se ferentis. Adhuc signa localia nihil omnino habent anxii, nec valetudo, si infirmitatem quandam, anorexiam, febriculam praetermiseris, turbata videtur; abscessu vero aperto secretum ejus acre, liquidum, decolor, magis minusve putridum fit atque in dies augetur. Una cum his mutationibus mala valetudo totum corpus invadit; febris hectica, magna cum debilitate et resolutione accedit, naturae vel artis ope malum coerceri nequit, perdurantibus colliquationibus, tabescentia, febri hectica aegrotus serius ocius, postquam pectoris vel abdominis morbi, hydrothorax vel ascites accessere, saepenumero post morbum longinquum et tetrum, diem obit supremum. Secunda fortuna vel apta curatione abscessus sanatur, morbo primario sublato; puris copia diminuitur, febris paullatim cedit atque aegrotus aut omnino reconvalescit aut singula mala, gibbositatem, claudicationem, paralysin, fistulas, tabem femoris retinet. Kyll (1) se observasse dicit: si morbus in dextro latere sedem habuerit, alvum fluxisse, quos ex intestini recti consensu deducit; diarrhoeam aït inter puris formationem oriri tamque vehementem esse, ut saepe vicies et quater per diem intret, nulli cedat medicamento nec per os nec per

---

(1) Kyll l. c. pag. 315.

anum illato, neque prius desinat, quam abscessus sanare inceperit; cui quidem observationi plane contrarius est casus ille a Struwe (1) relatus, in quo, quamquam morbus latus dextrum tenebat, tamen per totum decursum alvus ita erat obstructa, ut vix duci posset; neque Paschen (2) in simili casu hoc de symptomate quidquam refert, licet abscessus in dextra perinaei parte apertus fuerit; haec igitur res nullius videtur momenti.

PROGNOSIS.

Prognosis hujus morbi in universum semper admodum dubia effanda est, quia plerumque jam multo prius quam tumor appareat, latentes processus morbosi in gravissimis organis viguerunt, sed propter situm difficillimam curam admittunt; deinde quoniam magna partium ad vitam necessariarum exstinctio late est progressa, morbique causa disponens semper fere in corporis indole versatur, facile fieri potest, ut morbum progredientem febris hectica, quaeque ex ea manant, sequantur. Id certe in prognosi bene est distinguendum, utrum morbus e carie vertebrarum proficiscatur, nec ne, neque enim aliter celeberrimorum chirurgorum hac de re discrepantes sententiae explicari possunt. Rust pro experientia sua cariem vertebrarum unicam fere causam putans prognosin malam semper, et si sanatio obtingat, exceptionem factam esse, existimat; quam quidem opinionem probat Pauli, qui in undecim casibus, quos observavit, toties mortem incidere vidit. Abernethy vero octo aegris ex novem sanitatem restituit idque

(1) Struwe l. c. pag. 288.
(2) Paschen l. c. pag. 182.

haud longo tempore, et Kyllio magno fuit gaudio quod in quinque casibus aegrotos sanos restituit ita ut hujus morbi prognosin omnino non malam esse censeat. Quae si contuleris, judicandum est: prognosin eorum casuum, in quibus vertebrarum caries primarius fuerit morbus, semper malam ponendam, qualem vero David (1) enarrat casum, talem inter exceptiones numerandum — contra si morbi sedes solo in musculo Psoa telaque cellulosa sit, prognosin semper quidem dubiam sed vix ad malam esse vergentem — talius enim morbi curatio perfecta rebus vel maxime adversis haud raro contigit, quod testantur Abernethy, Kyll, Paschen, Struwe, Hartmann, Runze, Nuetten, quamquam non desunt ejusmodi casus, in quibus postremo mors est secuta. Dolendum est, permagnum numerum hoc morbo aegrotantium eam ob causam morti succumbere, quia medici auxilium, quod initio morbi prodesse possit saepissime tum demum petitur, quum morbus eo pervenit, ut nulla artis opera mortem velociter appropinquantem inhibere possit.

CURA.

Quodsi ad curandos hujusmodi abscessus certam normam statuere velles, ineptum faceres; singularum enim partium, in quibus suppuratio primum gignitur indoles, ejusque causae ita sunt variae, ut eadem curandi methodus in omnibus casibus non modo non exerceri sed ne cogitari quidem possit.

Cura primum quidem id spectare debet, ut suppu-

---

(1) David l. c. pag. 85.

rationis focus tollatur, caussae igitur removeantur; tamen autem non minoris momenti est, abscessum ipsum ne paullulum quidem negligere, imo etiam singulari diligentia dignum habere, cujus ex curatione aegri vita maximopere pendeat. Requirit igitur indicatio prima causalis: aut inflammationis chronicae Psoarum, aut cariei vertebrarum curationem, indicatio morbi suppurationis imminutionem, ipsius abscessus extenuationem et conglomerationem; quibus plerumque accedit indicatio vitalis, ut aegroti vires omni modo sustineatur, quae dummodo suppeditent, prosperum curatio eventum habebit, si vero deficiant, mortem avertere non poterit. Prima autem conditio, ut omnibus hisce indicationibus satisfiat est, ut perfecta quiete fruatur aegrotus in tergo cubans. Jam David etiam atque etiam id monuit et postea Wichmann (1), Ford, Portal, Copeland(2) denuo commendarunt. — Quodsi psoitis morbus est primarius parum tantum ad delendum suppurationis focum fieri potest, quum musculus Psoas altius situs sit, quam qui externis remediis mere afficiatur; quamobrem curatio non nisi ad ipsum abscessum pertinet, qua apte instituta roborantia validissima saepe efficiant, ut suppuratio coerceatur postremoque finiatur. Forsitan a nonnullis commendatus usus internus tartari stibiati in dosi refracta, unguenti sabinae inunctio, vesicantium applicatio saepe repetita, fomentationes siccae calidae, electricitas ex usu erunt. Sin caries vertebrarum morbus primarius, prima erit indicatio remotarum causarum

(1) Wichmann in Loders Journal Band 2. p. 31.
(2) Copeland, l. c. pag. 23.

amotio. Plerumque autem caussae partim longe antecessere, partim jam praeteriere, velut mechanicae, aut aegri indoli firmius inhaerent, veluti dyscrasiae; quod si ita est malum celeriter tolli non potest; ac si ars id unum efficere studeret, ut amoto morbo generali localem morbum superaret, hic interea ad destructiones plane insanabiles excederet; itaque curatio in malo locali, nimirum in vertebrarum exulceratione versabitur simulque ubi fieri poterit indicationi causali satisfaciat. Quem ad finem quamvis varia a clarissimis chirurgis sint proposita, eo tamen omnes consentiunt, validissima excitantia externe applicanda esse, ut morbus ab ossibus ad cutem, si fieri possit, traducatur. Pervical Pott eam ob causam commendat, ut magni fonticuli lapide caustico inusti ab utroque spinae latere vertebris quam proxime applicentur et in suppuratione teneantur. Camper (1) quidem hoc remedium saepe sibi defuisse dicit neque tamen negari potest, crebro illud adhibitum, quod deberet, id praestitisse. Rust et Richerand igni utuntur; ille in primo tantum morbi stadio, et eo rarissime tantum prosperum vidit e fonticulorum applicatione eventum; confugit igitur ad ignem ferri candentis; Richerand (2) moxam remedium ad coërcendam cariem aptissimum esse vult. Moxam Richerand secundum vertebras, quae maxime affectae videntur, tertio quoque die adhibet eoque modo compluribus in casibus moxis viginti una ad septem ex tanto temporis intervallo applicatis, sanationem adeptus est perfectam. Rust

(1) Camper, Prix de l'Academie. T. 5. P. 2. p. 828.

(2) Richerand, Grundriss der neueren Wundarzneikunst, aus dem Französischen von Robbi.

ut jam supra diximus, ferrum candentem moxae praefert. et quia minorem excitet dolorem et propter latius profundiusque penetrantem effectum; utitur ferro prismatico, quo plures strias, pro mali amplitudine juxta spinam dorsalem inurit, deinde superficiem anteriorem triquetram prope mali sedem tantisper applicat, dum ambustiones oriantur profundae, quae crusta dejecta in fonticulos mutentur. Pauli (1) hanc methodum idcirca potissimum vituperat, quod ambustiones magnae aegrotum impediant, quominus supinus cubet, et quod ignis effectus citius praetereat, quibus quidem Rust experientiam opponit qua doctus sit, aegrum, quo latius atque altius ulcus serpat, eo quietius in positione ei data remanere, quum quaevis motio dolorem ei excitet, et effectum ignis haud ita facile praeterire ratus suppurationem inde sequentem, quamdiu velis retineri posse, monet; ceterum loco striarum rotunda vulnera inuri concedit, quamquam, cempluribus praesertim vertebris affectis, ea tam prosperum eventum habitura esse negat.

Quod ad curandum abscessum ipsum attinet, clarissimi chirurgi discrepantur, utrum abscessus sero, cum sponte mox rumperetur, an mature, utrum majore incisione, an punctione tantum aperiendus sit. Gallorum chirurgi plurimi et Anglorum complures tum primum aperiunt, cum jam sponte ruptura imminet, quam quidem methodum Abernethy (2) oppugnat his verbis: »Symptomatum periculosorum vulgo sequentium abscessum apertum cognitio efficit, ut chirurgus quam diutissime operationem proferat; qua mora puris copia

(1) Pauli in Rust's Magazin Band. 8. p. 471.
(2) Abernethy l. c. pag. 56.

»tanta fit, ut fasciam majore ambitu distrahat finesque »sacci lumbalis ampliores reddat; quam medendi ratio-»nem maxime noxiam esse, patet. Quo enim diutius »incisio profertur, quo major puris copia, quo extensior »fit saccus, eo gravior inflammatio et suppuratio postea »evadet, quare ego certus sum, multo minorem hominum »numerum hoc morbo defuncturum fuisse, si quisque »talis abscessus, ut primum aperuerit, apertus esset.« — Illi quidem nostri quoque chirurgi, eorumque propugnator **Rust** assentiunt.

Quod si factum est, puris sani, haud olentis, magnam copiam effluere jam supra commemoravi; aegrotus inde multo allevatus, causam mali sublatam ideoque mox sanum se evasurum esse sperat, quae tamen spes ita fallit, ut potius mors magis magisque propius accedat; mox enim res commutantur, pus initio laudabile, odore carens, tenue fit et ichor male olens, dolor febrisque hectica, dum aegrotus rapide emaciescit, augentur, sudores sedesque colliquantes mox ad summum gradum perveniunt. Quas res alio modo declarari posse multi non crediderunt nisi proponerent, aëre in abscessum intrante inflammationem talemque parietum ejus commutationem fieri, ut sanies puris loco secernatur. Aër autem e. g. si herniae solvuntur semper in abdomen ingreditur; Astlay Cooper canibus adeo et abdomen et pectus et telam cellulosam aëre inflavit neque tamen neque hic nec illic symptomata urgentia orta sunt. Ceterum haud raro fit, quod et Hufeland (1) et Abernethy (2) testantur, ut homines fistulis in re-

(1) Hufeland, prakt. Uebersicht der vorzüglichsten Heilquellen Deutschlands. Berlin 1815. pag. 175.
(2) Abernethy l. c. pag. 41.

gioni lumbari maximam saniei copiam secernentibus laborantes diu valetudine praeterea bona gaudeantur, quamvis vertebras aegrotare haud dubie sit.

Abernethy (1), qui continuam aëris renovationem inflammationis sacci depravataeque secretionis causam habet, idcirco parvam incisionem lanceola perficit pureque ablato aperturam bene claudit, ut sanatio per primam fiat intentionem. Hanc punctionem eodem modo omni die duodecimo circa repetit, si fluctuationem sentit, donec nullum vel perpaucum pus appareat. Hanc methodum Bell quoque et Richter secuti sunt nec minus viri celeberrimi Petit, Boyer, Richerand, Larrey, Cooper, de Graefe punctionem magnae incisioni praeferunt. Boyer non lanceola, sed tenui scalpello quodam abscessus parietem oblique perforat, cute antea valde tensa, ut ejus remissione puris profluvium, prout libeat, impediri possit. Richerand quoque tenui utitur scalpello, cujus acumen sine alia praecautione abscessui immittit. Plurimi Gallorum chirurgi acu triquetra operationem perficiunt, qua ad curandam hydrocelen utimur. Tumore quantum fieri potest situ aegroti erecto, tussi etc. tenso in loco maxime eminente acus defigitur; pure emisso tubuloque remoto ictus emplastro adhaesivo contrahitur et apertura bene clauditur. Pauli aërem vulnus ingressum noxium habere effectum in nervos denudatos vult secundam experientiam illam, qua homines vulnerati refrigerationi expositi facile in spasmos vel trismum incidant nec minus aër denti carioso immissus dolores excitet acerrimos, quare et ille

(1) Abernethy, l. c. pag. 50.

punctione abscessum aperiri commendat. Cute tensa locoque remota lanceolam abscessui immittit majorem pureque ablato cutem statim remittit, quae aperturam claudat. Hac methodo adhibita symptomata illa perniciosa supervenisse ille negat.

Omnes illae methodi illud habent incommodi, quod apertura abssessus vel tubuli nimis parva sit et tenuior tantum puris pars effluere possit; flocculi spissiores, qui vulgo in eo inveniuntur, remanentes vel ipsum vulnus vel orificium tubuli obstruunt et hoc modo profluvium impediunt. Nihilominus hanc methodum exitum habuisse faustum saepeque perfectam effecisse sanationem ostendent casus, quos recitat Abernethy aliique, in quibus tamen omnibus id respiciendum est, quod vertebrarum cariem non adfuisse maxime verisimile est. Haud igitur ineptum facere mihi videor, si hanc methodum iis in casibus exercendam esse contendam, ubi e psoitide genuina morbus sit ortus, praesertim cum nunquam nos impediat, quominus aliam curandi rationem postea exsequamur. Num statim cuncta puris copia, quae inest abscessui, evacuanda sit, nec ne nondum inter omnes constat. Perfectam evacuationem commendat Abernethy (1), quia, nisi hoc fieret, haud ita multo post denuo evacuatio repetenda esset, Petit adeo cucurbitulis appositis evacuationem perficere jubet. Attamen perfecta evacuatio non modo non necessaria est immo vero multi hujus aetatis medici inprimis de Graefe eam vetant, praesertim si abscessus magnam praebeat amplitudinem, cum subito sublata compressione

(1) Abernethy, l. c. pag. 60.

quae eo usque in vasa nervosque continuo facta sit, velut in hydrope congestio oriatur passiva, quae puris mutationem periculosam gignat. Rust ante omnes primus docuit, aërem purum nec in vulnera nec in abscessus noxium habere effectum et quia semper fere in abscessibus parva incisione apertis pus in saniem foetidam mutari vidit, hoc non aëris puri contactu at potius ita fieri contendit, ut, parva abscessus incisione bene clausa, aër, qui nunquam impediri possit, quominus intraret, cui nunc exitus non pateat, corrumpatur, mephiticam, accipiat indolem itaque puris depravationem efficiat. Quare, experientia nisus amplissima tales abscessus magna incisione aperiri apertosque teneri jubet; magnam vero incisionem non habet qualem Pauli (1) digiti dimidii latitudinis, quam potius minimam esse dicit, talem vero, quae, quantum fieri possit, totam abscessus amplitudinem diffindat. — Etiamsi vero aëris aditui patenti optimus hujus medendi rationis eventus non sit tribuendus, tamen talem incisionem integumentis valde laxis et omni renisu privatis novam inflari vitam, totam regionem morbo affectam miro modo commutari, ulcus tandem sinuosum, nunc apertum aptorum remediorum applicationi patefieri, satis liquet.

Quomodo autem fiat, ut magna incisione facta pus magis, quam ichor secernatur, vel quomodo efficiatur, ut saniei secretio, toto abscessu audaciter diffisso, coërceatur brevique non modo secretio melior cernatur, sed etiam omnium, quae adfuerint symptomatum universalium urgentium et perniciosorum fiat remissio, has om-

(1) Pauli l. c. pag. 143.

nes quidem res plane se nescire Rust (1) confitetur; sed ita esse, experientia id se esse edoctum affirmat: semper ille cultro utitur cauteriis plane rejectis, quae integumentis relaxatis necessarium vitae gradum imponere non modo non valeant, sed etiam noxia chemica sua vi malam potius, quam bonam suppurationem itaque plane contrarium efficiant, quam quod ipse magna sua incisione faciendum studeat.

Cujus quidem methodi pretium experientia auctoris amplissima satis confirmatum qui negant, quia et ea adhibita pus bonum in saniem mutari, febrem hecticam ceteraque symptomata perniciosa, mortem tandem supervenire viderunt, chirurgi minus prosperum eventum haud raro idcirco habuerunt, quia auctoris praecepta minus accurate secuti sunt, saepe vero, quia morbus primarius eo jam progressus erat, ut nulla artis adminicula coërceri posset. Ille enim nexus causalis, illa ossium perniciosa affectio saepenumero unamquamque medendi rationem et frustratur et frustrari debet.

Contemplanti igitur, in illis quidem casibus, qui Rustio obvenerint, semper fere vertebrarum cariem primum fuisse morbum, — contra in iis, quos offerunt Abernethy aliique psoitidem genuinam auctorem fuisse abscessus lumbalis, utrumque vero horum virorum experientissimorum felicissimum haud raro habuisse eventum quamvis medendi ratione discrepaverint, facile patet, illos abscessus lumbales, qui vertebrarum carie exorti sint, magna quidem incisione, illos vero, qui e psoitide profecti sint punctione optime aperiendos esse, quam

(1) Rust in der Anmerkung zu Pauli's Aufsatz im Magazin Band 8. pag. 443.

quidem sententiam jam nonnulli nostri temporis chirurgi probarunt.

Attamen cur ne optimae quidem medendi rationi saepissime contingit, ut aegrotum servet, eam potissimum habemus causam, quod tertiae quam proposuimus indicationi, nimirum ut vires sustineantur, ne validissimis quidem remediis satisfieri potest, itaque mors ex virium inanitione morbo longinquo atque teterrimo finem tandem imponit.—

VITA.

Herrmannus Fridericus Vollrath Müller natus sum Müllerosae, Marchiae oppido, sexto a. cal. Dec. anni MDCCCXVI. patre Henrico, verbi divini ministro jam infanti proh dolor morte erepto, matre carissima Theresia e gente Rouanet, quam Deus Optimus Maximus ad haec usque tempora incolumem mihi servavit. Fidem confiteor evangelicam. Primo aetatis anno elapso Beescoviam mater mecum se contulit, ad parentes suos, quos nunc defunctos valde doleo atque ad cineres usque pio gratoque animo colam. Decimum aetatis annis laetissimum peregi auspiciis viri humanissimi dilectissimi W. Ideler, verbi divini ministri cui gratias habere sincerrimas nunquam desinam. Deinde anno MDCCCXXVIII. Berolinum me contuli, ubi inter socios receptus orphanotrophii Schindleriani per quinque annos et quod excurrit summo amore summaque indulgentia tractatus litterisque imbutus sum, cui quidem instituto ejusque praefectis et praeceptoribus humanissimis atque dilectissimis in perpetuum, quem debeo, animum servabo gratissimum. Anno MDCCCXXXIII. gymnasium adii leucophaeum Berolinense tunc temporis directore clarissimo Beat. Köpke florens idque per duos annos et dimidium frequentavi. Testimonio maturitatis instructus anno MDCCCXXXV. mense Octobri instituti medico chirurgici Friderico-Guilelmiani civibus adscriptus sum, ubi de re medica et chirurgica hos viros audivi disserentes:

Cel. Wolff de hodegetice, logice, psychologia; Ill. Link de botanice, historia naturali, toxicologia; Cel. Turte de physice et pharmacia; Ill. Mitscherlich

de chemia; Cel. Schlemm de osteologia, syndesmol gia, splanchnologia; Ill. J. Müller de anatomia un versa et organorum sensuum nec non de physiologia. arte cadavera rite secandi Ill. Müller et Schlem duces mihi fuere.

Praeterea has frequentavi scholas: Ill. Lichte stein de zoologia; Beat. Fr. Hufeland de semioti pathologia et therapia generali; Ill. Osann de mate medica, de fontibus medicatis, de auxiliis in repenti vitae periculis afferendis; Cel. Eck de physiologia; Il Horn de pathologia et therapia speciali, de morbis sy philiticis et psychicis; Cel. Froricp de aciurgia, ana tomia chirurgica, de arte formulas medicas concinnan Ill. Kluge de arte fascias rite imponendi, de chirurgi generali, de arte obstetricia, de aciurgia; Ill. Jüngke de chirurgia speciali, de aciurgia, de ophthalmiatrice Ill. Rust de helcologia, Ill. Hecker de encyclopaedi et methodologia medica, de Celsi libris, de Burseri institutionibus, de historia medicinae.

Exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, obste triciis, ophthalmiathricis, medico-forensibus interfui vi- rorum illustrissimorum et celeberrimorum Wolff jun Wagner, Truestaedt, de Graefe, Dieffenbach Kluge, Juengken.

Ad rem veterinariam scholas audivi Ill. Gurlt de anatomia animalium domesticorum.

Quibus omnibus viris summopere colendis gratias quam maximas ago semperque habebo.

Jam vero tentaminibus tam philosophico quam medico atque examine rigoroso superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque rite defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferautur.

THESES.

1. Venarum sanguis cordis vi non movetur.
2. Vaccinatio non nisi primo aetatis anno elapso est instituenda.
3. Laesiones cranii ne gravissimae quidem trepanationem semper exposcunt.
4. Iridectomia omnibus ceteris pupillae fingendae methodis est anteponenda.
5. Strepitus qui dicitur placentaris fallacissimum est graviditatis signum.
6. Pulmones in aqua natantes foetum jam respirasse non probant.